

COLL. REG. MED. LOND.
MDXVIII
O BIOC
BPAXYC H
ΔE
TEXNH
MAKPH

Ar[illegible] (Gianluigi)

# DE NATIONE ANGLICA ET SCOTA

## IURISTARUM UNIVERSITATIS PATAVINAE

AB A. MCCXXII P. CH. N. USQUE AD A. MDCCXXXVIII

SCRIPSIT

**Io. Aloys. Andrich**

IN PATAV. ATHENAEO IURIS STUDIOS.

PRAEFATUS EST

**D.r Blasius Brugi**

IBIDEM ROM. IURIS PUBL. ORD. PROFESS.

PATAVII

EXCUDEBANT FRATRES GALLINA

MDCCCXCII

Rectori ac sodalibus Univers. dublinensis D.r Blasius Brugi antec. patav. S. D.

Nomina, quae sequuntur, iuristarum nationis anglicae et scotae Universitatis nostrae prodeunt in lucem subsidio summi Italiae studiorum Moderatoris, pro petitione magnifici ac meritissimi Rectoris Universitatis nostrae, equit. **Caroli Franc. Ferraris.**

Quum primum Urbini, deinde Catinae, nunc autem in hoc vetusto Athenaeo ius romanum publice profiterer ac profitear, iuvenum ingenia ad exquirendam iuris eiusdem litterariam historiam sedulo excitavi, ne veterum, qui nostrum et, ut ita dicam, commune ius condiderint, memoria evanesceret. Nam satis apertum est, quid ad iuris hodierni cognitionem conferat dogmatum historia, cuius origo paene tota in famosis medii aevi Studiis latet. Docto-

res illos legentes, qui in medium ius protulerunt ac universae Europae discipulis romanas leges eruerunt, male quidam νεωτερικοί neglegunt. Sed externorum, vel, ut tunc dicebantur, ultramontanorum sive transalpinorum discipulorum quoque ratio habenda est, qui, in patriam reversi, passim romani iuris scientiam diffundebant. Vidimus nuper doctos germanos, praesertim D.$^{rem}$ Arnoldum Luschin ab Ebengreuth, diligenter austriacorum discipulorum nomina, qui olim Italiam catervatim petebant e rotulis, matriculis, actisve ipsarum descripsisse, quo melius romani iuris in Germaniam receptio declareretur.

Quamobrem opusculum hoc diligentissimi disci, puli nostri Io. Aloys. Andrich ad Vos, doctissimos Viros Universitatis dublinensis saecularia solemnia agentes, mittimus, ne, mari terraque semoti, invitationem Vestram carissimam neglegere videamur. Neque nos fugit Bononiae ad almae matris festum celebrandum paucis ante annis doctores discipulosque orbis universi nos vidisse, laetoque animo dies illas ad perpetuam rei memoriam in fastos nostros retulimus. Ex quo factum est ut revera undique familia nostra mutuo amore sociata videatur, quippe quae novum, si fas est ita dicere,

Vestae focum in penetralibus servat ac omnibus liberaliter exhibet.

Salvete igitur, Sodales clarissimi ac dilectissimi, et tenues has symbolas libenter accipite.

Scripsi Patavii die II Iuni a. MDCCCXCII p. Ch. n.

# RATIO OPERIS

C. Frid. Savigny, quum de nostra Universitate scripsit, animadvertit patavinum Gymnasium diu habuisse prae ceteris Universitatibus historicos mercede conductos, quorum opera vulgo traduntur, sed, ut idem perillustris germanus monet, parum accurata sunt. Quare iuvat diligenter in monumentis ipsis tabularii Universitatis inquirere, et iis deficientibus, caute scriptoribus fidem tribuere. Qui, ceterum, excusatione digni videntur, quia non semper nec facile illis nationum annales prostabant, quibus hodie uti fas est.

Tunc autem Consiliarii nationum iureiurando pollicebantur se nemini, praeter sodalibus, acta nationis ostensuros. Iacobus Facciolati quoque, cui fontes haud deficiebant, ex liberali decreto venetae Reipublicae a diligenti viro Minato, labente saeculo XVIII, laboriose collecti, etsi eleganter, non semper accurate et veridice scribit. Revera historici nostri de singulis nationibus separatim scribere nolebant quippe quibus fastos universi Gymnasii generatim tradere mos erat; quamobrem nomina Rectorum doctorumque legentium diligenter e rotulis describunt: nomina autem Consiliariorum fastosque nationum, ex quibus maxime tunc scholarium Universitas constabat, silentio

fere semper praetereunt vel accessorie, ut ita dicam, servant. Qua de causa nobis necesse est antiqua tabularii volumina vetustosque codices petere ac historicis nostris nonnulla auferentes, adiicentes, nec raro immutantes, corrigere vel comprobare quae illi tradiderunt. Quum in limine ipso studii mei quae D.r Blasius Brugi de iure romano ac eius litteraria historia nec non de nostris Universitatibus legebat ac assidue legit in patavina Schola audivissem, ardentissime cupii, aliquid e fontibus ipsis haurire, quod Vobis, doctissimis Viris Universitatis dublinensis, gratum esset. En Vobis libellum, qualecumque est. Antecessori, cuius epistola inest cuiusque consilio et cura opusculum in publicum prodit, gratias quamplurimas ago, nec non Rectori magnifico, summoque studiorum Italiae Moderatori. Ab anno MCCXXII p. Ch. n. de nationibus anglica et scota Iuristarum itaque scripsi, quo coepit initium Iuristarum Universitas, usque ad annum MDCCXXXVIII, quo Respublica veneta antiquam Universitatis constitutionem male novis temporibus aptam abrogavit. Sed vetustorum temporum perpauca supersunt. Ineunte enim saeculo XVI socii cameracenses venetae Reipublicae bellum intulerunt ac imperator Maximilianus Patavium obsedit, illaque tempestate amissa fuere omnia fere antiqua monumenta quae in tabulariis nationum adservabantur eorumque paene memoria obliterata est. Adde quod pestis causa aliquoties Studium desertum actaque nationum ac bibliotecae deperdita fuere. Usque ad annum MCCCCIV doctissimus vir Andrea Gloria, patavinus antecessor, quae de antiqua Schola patavina scire possumus, nuper e fontibus omnibus hausit. Hoc opus secutus sum usque ad hunc annum, postea oblique notitias colligere conatus usque ad annum MCCCCXCVIII, quo initium capiunt acta adhuc extantia Universitatis legistarum. Ex hoc tempore igitur tabularii monumenta nobis auxillium praebent usque ad annum MDCCXCVII

quo Galli, duce Bonaparte, venetam Rempublicam nec non Gymnasium universum eiusque tabularia perturbaverunt. Ex quo fit ut multi codices mutilati, multi etiam amissi fuerint. Quod colligere potui, in artem sex, quae sequuntur, capitibus redegi:

Primo igitur capite quae de nationibus, deque earum origine ac privilegiis excerpsi: secundo quae de Rectoribus, Prorectoribus, Syndicis et Prosyndicis anglicis et scotis: tertio quae de Consiliariis anglicis eorumque gestis, quarto quae de Consiliariis scotis et eorum gestis, quinto quae de scholaribus anglicis et hibernis qui his commixti sunt: sexto quae de scotis continentur.

Explicatio abbreviationum quae passim occurrunt.

*Fontes editi*

**T.** Iac. Phil. Tomasini, Gymnasium patavinum. Utini. 1654. 4.

**P.** Nic. Commeni Papadopoli. Hist. Gymnasi patavini. Venet. 1757. *f.*

**F.** Iac. Facciolati Fasti Gymnasii patavini. Patavii, 1757. 4.

**Glo.** Andrea Gloria, Monumenti dell'Università di Padova *(Vol. III).*

**De.** Die Statuten der Iuristen - Universität Padua vom Iahre 1331. Zum ersten male herausgegeben von P. Heinrich Denifle O. P. Freiburg in Breisgau, 1892.

*Fontes ms. qui in Tabulario Gymnasii asservantur*

**A. U. L.** Annales Universitatis Iuristarum.

**A. I. N. G. I.** Annales Inclitae Nat. Germanicae iurid. facult. Patavii degent.

**M. U. L.** Matricolazione dell' Università legista.

**R. N. P. N.** Registro di nomi divisi per Nationi.

# CAPUT I.

## De Nationibus deque earum origine ac privilegiis

I. Iam constat anno MCCXXII p. Ch. n. patavinam Universitatem conditam esse, quum multi scholares litium causa quae Bononiae, ut frequenter, ortae essent Patavium migraverunt. Respublica patavina cum Universitate pacta est « quod studium Paduanum debet eciam secundum statuta Bononiensia gubernari » ut legitur in statutis, nuper ab Henrico Denifle editis (1). Quum autem bononiensia statuta anglicam nationem memorentur, haud ambigitur ipsam ab initio Patavii exstitisse : quod monumentum quoque vercellense anni MCCXXVIII comprobat(2). Anno MCCLX Gosaldus hispanus Rector utriusque Universitatis (ultramontanorum nempe et citramontanorum) « statutis et regolacionibus fundavit Studium Paduanum » (3), sed et ille eiusque successores usque ad annum MCCCXXXI nihil de nationibus et consiliariis statuerunt ut in prohemio « de commemoracione istorum qui statuta condiderunt » reperitur. Idcirco usque

(1) De. p. 385 L. I. R. I. F. 4*b*.
(2) Glo. v. I p. 5 §. 560.
(3) De. p. 380 prhoemium F. 1*b*.

ad dictum annum, anglica tantum erat natio, quae, nullo discrimine, ex anglis, scotis hibernisque constabat. Sed editis anno MCCCXXXI novis statutis quum ultramontanorum nationes enumerarentur anglicorum cum scottis unam (1) esse nationem scriptum est. In statutis autem anni MCCCCLXV quum eadem descriptio occurrat anglica anglicorum et scotorum (2) natio vocatur. In De. scoti quasi accessorie nominantur; in statutis contra a. MCCCCXLV scoti et angli pariter nominantur. Quae divisio haud mira quae quippe regnorum divisioni respondeat; sane potius mirum est illam ab initio factam non esse, temporibus ipsis quibus Universitas bononiensis orta est. Nec modo Bononiae sed in Studiis omnibus Galliae et Germaniae, anglicae tantum nationis mentio est. Duabus de causis, ut opinor; et propter regionis figuram, (Britannia enim insula ita est conformata ut unum efficiat) et propter romani imperii memoriam (tunc antem Britannia una tantum provincia). Sed quum postea compertum fuisset anglicorum scotorumque regna omnino esse divisa, paullatim ipsorum Nationes quoque in Universitate exortae. Et primum anglica ex anglis scottisque constavit. Deinde anglos et scotos unam efficere Nationem dictum; denique annno MDXXXIV scota Natio ab anglica seiuncta est. Sed paucis post annis quum scotorum et anglicorum regna sub eodem rege iuncta essent, factum est ut scota anglicae nationi accedere coeperit. Quod ex A. U. L. ad a. MDCIII-IV die II augusti hauriri fas est.

« Scotta cum esset supplenda comparuit Natio anglica et deficientibus Scottis petijt per gratiam (non iure) sibi impartiri consiliariam *cum nuper Regnum suum cum Scot-*

(1) De. p. 399 L. I. R. 13 F. 12.

(2) Statuta Iuristarum U. P. confecta a. MCCCCLXV. ms. ch. f. a. MCCCCLXXXV L. I p. 4*b*. Sta. 4.

*tis sit unitum* sub eodem Rege. Ideo admissus fuit D. Simeon Foschint anglus » (1) Et iuxta sententiam, quam die XI Iulii a. MDCLXXXIV urbis rectores tulerunt, vacante natione scota, scotam consiliariam anglicus consiliarius ob hoc maxime Universitatem poscit: anglos et scotos sub eodem rege vivere: « massime essendo queste due Nob.$^{me}$ Nationi tutte due sotto la Corona d'Inghilterra (2) » Tomasinus quoque, quum de anglica et scota natione scripsit, dixit: « Britannorum nomine, *ut imperio iunctos*, Anglos, Scotos et Hibernos accipio ». Quod etsi, ut videbimus, arbitrarie dictum, mihi tamen utile quia meam confirmat sententiam. Tomasinus enim, ut suae aetatis mos erat coniunctas putabat has Nationes quod et duo regna sub uno regimine iuncta essent. Quamobrem primum regnorum divisio ad divisionem Nationum, deinde rerum publicarum conditio ad nationum accessionem impulerunt.

II. Ceteri historici de Nationibus nihil: Tomasinus tantum, licet perpauca, aliquid tradit. Sed documentis quae dicit comprobare saepe non possumus, quia vel documenta amisimus vel ipse neglegenter scripsit. Anglicam et scotam nationem, ut dixi, uno britannicae nomine complectitur. Britannicae antem nomen ter tantum inveni: in A. U. L. in subscriptione quadam anglici consiliarii (sed ibi quoque verbum hoc anglicae sinonimum est) et in M. U. L. ubi duo scholares dicuntur « britanus scotus », unus autem « britannus » tantum; nunquam vero utriusque nationis nomen fuit. At Tomasinus impropric locutus est ut una esset Natio cuius personam duo Consiliarii gererent, quum contra

(1) A. U. L. V. 14 p. 8*b* N. 73.

(2) A. V. L. V. 20, p. 12*b* N. 144. Hoc anno edita sunt Statuta et Privilegia I. N. G. I. quibus sancitum est I. G. N. ius supplendi esse scotam anglicam et polonam. pr. XXI p. 30.

iam ab a. MDXXXIV nationes, quibus de loquimur, seiunctae essent et a. MDCLIV quo Tomasinus scripsit, omnino essent divisae, licet Natio anglica « per gratiam » scottam supplendi, scottis carentibus, obtinuisset. Contra, ab anno MLXXXIV quo scota ab anglica seiuncta est, ad annum MDLXVII quamquam saepe supplenda scota fuit, nullus anglus huius consiliariam consecutus est, et anno MDCIII per gratiam tantum Scottam supplere anglica obtinuit. Revera, post huius anni postulationem, plures angli scottam suppleruut. Sed hoc nec firmum nec certum privilegium ipsorum. Germanorum enim supplendi omnes vacantes ultramontanorum nationes erant; idcirco aliquando eis scottam supplendi legitime munus delatum. Angli vero qui eodem scotorum regi subiecti erant rectores rogabant ut sibi istorum consiliariam largiretur. Ex quo lites quotidie oriebantur. Unde anno MDCLXI cons. alemannus in A. I. N. G. I. ad supplendam scottam « citra ullam contradictionem » Germanum electum esse animadvertit. Die I. augusti MDCLXXIII orta lite inter cons. germanum et anglicum scotae supplendae causa, triumviri litterarii (1) Rectore Universitatis et Rectoribus urbis aditis ius cons. supplendae omnino alemannae Nationi pertinere iudicarunt (2). Sed anno MDCLXXXIV inter germanos et anglicos supplendae scotae causa iulii mense denuo lis orta. Ut in A. I. N. G. I. est, cons. alemannus sibi impartiri scotam consiliariam volebat ne anglus, qui talis ex matricula patebat, pro scoto scotae consiliarius eligeretur; sed, lite contestata, anglus consiliariam obtinuit quum Patavii Cardinalis (scilicet, ut opinor episcopus) « cui nemo contra dicere audebat » coram Praetore scotum eum ori-

(1) Italice *Riformatori dello studio di Padova* qui Studii Moderatores erant.

(2) A. U. L. V. 20 p. 1*b* n. 134.

undum adfirmasset (1). Ed in A. U. L. die XI Iulii sententia refertur, qua « Bernardo Memmo per la Ser.ma Sig. di Venetia Podestà et Lorenzo Tiepolo Cap.° di Pad., » lite contestata iudicaverunt: Posse illum anglum, ab anglico consiliario ad scottam supplendam creari nec ita privilegio alemannorum noceri, quibus supplenda esset scota et anglica « in mancanza di soggetto », videlicet carentibus scottis et anglis. Sed die XIV Septembris MDCXCV orta lite inter germanos et anglos supplendae scottae causa, adito Prosyndico, angli non ex iure sed gratia ab eo petierunt ut sibi pro hoc unico de defectu germanorum » cons. scota traderetur, quod pro illo anno concessum est, at « quod nolint, amplius hoc ius de iure pretendere » moniti sunt (2). Et ab hoc vero anno natio supplenda fuit, scotis et anglis omnino deficientibus quia ita, ut iam in sententia XI Iulii, privilegium XXI germanorum interpretatum est; una tantum ex illis nationibus carente, saepissime invicem scotis vel anglis supplenda erat.

Germanis ut diximus, ius erat supplendi scotam et anglicam nationem et die VII Iannuarii MDCXCIX ab eis in conventu « conclusum fuit Saccharum illud, quod tempore primae nivis, aut occasione Doctoratus Hebreorum Nationibus nostris (3), tribus supplendariis polonae, anglicae et scotae venit, quo nationales nostri eas implent, non Consiliariis sed toti Nationi in posterum distribuendum esse (4).» Et ab hoc anno saepe invenimus Hebreorum saccharum « cum poculo amicitiae »

(1) A. I. N. G. I. III. p. 539.

(2) Ibidem p. 636.

(3) Nationes germanae ut in statutis et privilegiis I. N. G. I. est,: Alemanna, Bohema, Ungara, Provincialis, Burgunda et Hispana erant quibus ius erat Germanis consiliarios creare pr. XXI p. 30.

(4) A. I. N. G. I. III. p. 670.

Consiliariis anglicae et scotae supplendae a Consiliario alemanno distributum. Hoc privilegium Iuristis erat etiam in Doctoratu Hebreorum artistarum ut die VII augusti MDCXCIX V. Syndicus artistarum confirmavit:

« Persuaso delle raggioni addottemi dichiaro che gli confetti de' Dottorati Ebrei convengono di raggione alle Nationi supplendarie.

Giovanni Cristiano Etner
V. Sindaco » (1).

Unde constat et saccharum his temporibus certam esse crustularum quantitatem et Universitatem iuristarum hic quoque Universitati artistarum praeire. Ex privilegio autem quod die XXVI Iulii MDCXVII Syndicus anglicae et scotae nationi concessit, propius accensus his, nullo detrimento generalium statutorum, fuit qui: *Bidellus Inclitae Nationis anglicae et scotae* immatriculabatur et semper ab hoc anno invenitur (2). Si audias Tomasinum, scholares anglicae et scotae nationis in unico albo, quod a Syndico Universitatis accipiebant, conscribebantur et hoc superesse testatur ab anno MDCXVI tantum « reliquis omnibus omissis per pestilentiae contagium, quare tunc nationis Bidello relicta fuerant ». At anno tantum MDCXVII proprius bidellus anglicae et scotae nationis primum esse coepit; illius vero albi tum in tabulario Gymnasii cum in quodam liberculo nuptiarum causa ineunte hoc saeculo edito (quo diligenter codices tabularii ipsius describuntur vel quorum memoria superest) ne verbum quidem invenimus. Adde quod alemanni, qui peculiari matricula proditi essent in M. U. L non conscribebantur, angli et scoti ex adverso,

(1) A. I. N: G. F. III 679.
(2) A. U. L. V. 15 p. 26*b* N. 82.

qui illa carebant, in M. U. L. describebantur. Ex his omnibus itaque nunquam anglicae et scotae nationibus peculiarem fuisse matriculam infero. Ab anno MDCXLIX (ut est in Tomasini historia) anglica et scota natios germanorum exemplo bibliothecam habuere. Huius bibliothecae etiam in A. U. L. anni MDCCXXVII memoria est ibique de ea mentio fit ut iam tradita a. MDCCVII Mingoni Bidello anglicae et scotae, quare verbis Tomasini fidem tibuere possumus. Die XXIX martii MDCCXXVII angli et scoti triumviros litterarios poposcerunt confirmationem Francisci Callin nationalis scotae consiliarii, bui bibliothecarius in conventu privato creatus fuerat (1), et ei a Mingoni librorum descriptionem tradi. Quum antem Mingoni a nationalibus vel Nationis amicis aliquoties ad augendam bibliothecam pecuniam accepisset nihilque factum esse videretur, petitum etiam fuit ut pecunia, quae in posterum ad augendam bibliothecam data esset, in nationis arca custodiretur (2). Die XXVI aprilis triumviri huic petitioni assensenserunt, sed aequitatis causa Mingoni bibliothecarium confirmarunt pollicentes se quam primum Callin id munus delaturos (3). Quod ad arcam spectat, nationibus revera fuisse ex documento XXIV martii, conici potest, teste etiam Tommasino. Sed in illo de statutis quoque Nationum dicitur, quorum nec in tabulario nec in historicis vestigium superest.

(1) Conventus publicus totius Universitatis erat, privatus autem unius nationis.

(2) A. U. L. V. 24 p. 15 N. 187.

(3) ibidem 24 p. 16 N. 187.

## CAPUT II.

### De Rectoribus, Prorectoribus ac Syndicis et Prosyndicis Iuristarum anglis vel scotis.

*A Rectores.*

I. Ioannes Cheluuorth anglus MCCCCLVII-VIII

revocata D. Bernardi de Capitibulistae electione, D. Ioannes Cheluuorth anglus Linconiensis Archidiaconus Rector creatus est (1). Quum autem caputeum accepisset magnificos ludos indixit et Iacobus a Canis patavinus antecessor pulchrum quoddam carmen edidit. Cheluuorth rectore die XXVIII Iannuarii MCCCCLVIII (2) « istitutae sunt scholae tertiae patavinorum gratia, Iuris Canonici duae totidemque Iuris civilis, itemque artium ac Medicinae, assignato singulis stipendio argenteorum XX quod nunquam augeretur » ut Facciolati scripsit.

II. Selvagius de anglia MCCCCLXXXI-LXXXII

Selvagius de anglia a. MCCCCLXXXI-LXXXII fuit

(1) Statuta a. 1531 ch. f. p. 5*b* F. II. p. 13 T. IV p. 394 P. I C. XVII p. 95.

(2) Rector, Consiliarii omnes denique Universitatis administri toto anno scholastico munere suo fungebantur. Annus scholasticus antem veteribus temporibus die XXII septembris, tum I. augusti, tum XIII novembris initium coepit.

rector. (1) Facciolati nomen eius Thomam fuisse scripsit (2). Sed in T. (3) et in P. (4) et, quod magni momenti est, in statutis Universitatis Selvagium nomen eius fuisse legitur. Tomasinus cognomen eius non de anglia sed de Angelis fuisse adserit sed nihilo nimus nomen refert quod statuta servant. Revera Selvagium de anglia nomen eius fuisse puto quod id statuta a. MDLXXXI habent quae eius regimini proxima sunt. Adde quod historici fontes non authentici sunt, statuta vero authentica. P. fuisse Rectorem a. MCCCCLXXXII ait sed, ut in statutis et libris ceterorum historicorum legitur, Rectoratum anno MCCCCLXXXI-LXXXII adeptum fuisse puto. Ille, ut in F. est. die XV aprilis « rursus confirmavit quinquagenos argenteos Rectori ex aerario soluturos esse quod antea senatus decreverat ».

III. Ludovicus Evan anglus MDCIV-V

Die XXX novembris MDCIV absente Rectore, D. Ludovicus Evan cons. anglicae et D. Faustus Lazarini Brixianus ad Rectoratum designati sunt. Quamquam D. Fausto, ut citramontano, ex decreto Triumvirorum (5) ius non fuit hoc anno rectoratum adipisci, « pro hac vice tantum » concurrendi licentia ei data est. Electus est igitur D. Ludovicus Evans nob. Anglus (6) qui quum die I decembris Venetias profectus esset D. Io. Bapta. Boneti Syndicus suffectus est (7) Die X ia-

(1) Statuta a 1511 p. 5*b*.
(2) F II. p. 15.
(3) T IV p. 396.
(4) P. I c. XVII p. 95.
(5) A. U. L. V. 14 p. 4 N. 74.
Moderatores statuerunt annis paribus Ultramontanorum, annis imparibus citramontanorum Rectorem eligendum esse, et aequaliter Universitatis Syndicum.
(6) A. U. L. V. 14 p. 4*b* N. 74.
(7) ibidem p. 5 N. 74.

nuarii MDCV quum rediisset caputeum accepit et vicarium sibi D. Ricardum Willobe anglum elegit. In porticu Gymnasii ad honorem illius inscriptio cum stemmate sculpto prostat.

*B. Prorectores ac Syndici.*

I Henricus Lindisy scotus MDCXL-I

Die V augusti MDCXL D. Henricus Lindisy nob. scotus, scotae cons. ad illius honorem XVIII sufragiis contra VIII, concurrente comite Carolo Porto, Prorector ac Syndicus creatus est. (1) Hoc munere contra mores et statuta usque ad diem VIII decembris functus est. Eius nomen fuit Henricus Lindisy, latine Lindisaius, italice, ut se supscripsit, Lindisai.

Die XIV Augusti cautum fuit ut Prorector ac Syndicus Venetias proficisceretur quo melius iura et privilegia Universitatis tueretur (2). Die XXVIII octobris statutum ut qui denuo in M. U. L. describerentur eamdem pecuniam solvere deberent quae pro prima immatriculatione solvenda esset, quum saepe accidisset quod novitii, productis veterum sodalium matriculis, in fraudem Universitatis minus solverent (3). Die XXIV februarii cautum ut Venetias Lindisy proficisceretur ad impetrandum « quod singuli Prorectores possint se addottorari Nobiliter » (4). Argenteum sceptrum Universitatis pigneraticae mensae pignori iam dudum datum erat. Cuius rei prorectorem adeo pudebat, ut, eo rogante, die X martii Universitas decreverit summo opere niti ad pignus solvendum. (5) Quo soluto, die XVII novembris

(1) ibidem v. 17 p. 2 N. 102.
(2) ibidem p. 2*b*.
(3) ibidem p. 4.
(4) ibidem p. 5*b*.
(5) ibidem p. 6*b*.

ab Universitate statutum ut sceptrum pignori numquam daretur; quodsi inopiae causa id aliquando necesse esset, adsentientibus urbis Rectoribus fieret. (1) Die autem X martii cautum ut Rectores urbis immunitatem vectigalium pro scriba Universitatis poscerentur eo magis quod etiam artistarum Universitatis scribae hoc privilegium erat (2).

Supplicationem Pr. et Syndic. S. Rep. Venetae fecit ut immutaretur modus scholarium examinandorum, ut eis sicilicet liceret examinari ab eisdem Doctorisbus legentibus quibuscum iurisprudentiae studio operam dedissent. Idcirco petebat ut sex Promotores (quattuor primorum locorum, duo secundorum) ex electione scholaris qui lauream optabat duobus augeri, possent. Dies in hoc monumento adposita non est. (3) Die IX octobris plurimis consiliariis carentibus, Prorector ac Syndicus, annuente capitanio, non describenda nomina declaravit suffectorum ut hactenus mos erat, at huic scito cons. alemannus intercessit (4). Die XVII novembris statutum ut etiam litterae ducales in statutis imprimerentur (5). Rectore Lindisy, teste Facciolati, collegium pro scholaribus montesilicensibus creatum est. Adhuc prostat in Gymnasii atrio ad illius honorem inscriptio cum stemmate sculpto.

## II. Iohannes Finch anglus MDCLVI-VII.

Die I. augusti MDCLVI D. Iohannes Finch « omnium consensu absque concurrente magno applauso electus

(1) ibidem p. 13 N. 107.
(2) ibidem p. 7.
(3) ibidem p. 11.
(4) ibidem p. 12.
(5) ibidem p. 13.

remansit viva voce in Prorectorem et Syndicum (1). » Die XXIII septembris senatus academicus, ut refert Facciolati, « cancellariis iniunxit, ut siquis lauream obtinuisset non omnibus probatis suffragiis sed pluribus dumtaxat, vulgo pro maiori, id utique in diplomate declararent, diploma autem ipsum forma minus honorifica exaratum darent non membranis sed chartis » (2). In conventu XXIX septembris statutum, praesentibus Syndico et Consiliariis, ut scholaribus matriculae distribuerentur ac pro singulis scholaribus Consiliarii nationum fidem facerent. Quamobrem ab hoc anno pro immatriculatis intercesserunt consiliarii (3). Die VII novembris, Turcis victis, statutum ut liber latino vel italico sermone ad gratulandam rempublicam venetam conscriberetur (4) et XI Decembris ut duo scholares, qui ex veneto collegio gratis lauream accepissent, quum tributis Gymnasii solutos esse vellent, hoc peterent ab Universitate, quae gratia, non iure fortasse concedere poterat (5). Duo inscriptiones Finch dicatae in Gymnasio sunt. In porticu ante aulas E et B cum stemmate et monumento, in aula A (aula magna) cum stemmate sculpto. Quibus ex decreto iuristarum Universitatis « Privilegiorum scholasticorum accerrimus defensor et restaurator » praedicatur.

III. Gulielmus Stokcham anglus MDCLX-I.

A consiliario scoto contradictore designatus die I. Augusti MDCLX omnium consensu sine concurrente D. Gulielmus Stokcham nob. anglus Prorector ac Syn-

(1) A. U. L. V. 18 p. 1 N. 117 in Matricula U. L. anni 1655 N. nomen male scriptum est: quum in P. I p. 100, in F. III p. 50 et quod maxime est in A. U. L. semper Finch scriptum sit in M. U. L. antem Fineck.

(2) F. III p. 50.

(3) A. U. L. V. p. 5 N. 117.

(4) ibidem p. *6b*

(5) ibidem p. 8

dicus creatus est (1). Die autem IX septembris supplicationem tulit Urbis Rectoribus ut Universitatis privilegia et vectigalium immunitates servarentur (2). Die VI ianuarii MDCLXI ad vitanda expensa statutum ut mandatum generale Iosephò Carminati, qui tunc advocatus Universitatis erat, revocaretur et deinde, quotiescumque opus esset, mandatum speciale daretur; duabus de causis quod et advocato opus non esset et mandato speciali melius advocati munere suo functi essent (3). Duo scholares quum gratis doctores a collegio Veneto creati essent, ipso iure autumabant tributis academicis solvi; Syndicus iussit eos ab Universitate petere Gymnasii tributorum veniam, et, ut iam fecerat anglus Prorector ac Syndicus Finch, statuit ut duo scholares pauperes qui, ut mos erat, a Laureae tributis solvebantur ante examen etiam Gymnasii tributorum veniam ab Universitate peterent (4). In peristylio Gymnasii ante aulas A et C et in aula A cum stemmate sculpto duae inscriptiones huic dicatae ab Iuristarum universitate sunt, quibus celebratur quod « traditum sibi privilegiorum firmavit ius, alienatum asseruit impensis quotannis perperam erogatis levavit aerarium ».

IV Ricardus Collins. anglus MDCLXXXVIII-IX

Die I Augusti MDCLXXXVIII, XII sufragiis contra VIII D. Ricardus Collins nob. anglus Prorector ac Syndicus creatus (5). Sed usque ad diem XXXI augusti abfuit; mandata enim XIII et XVI augusti a V. Syndico

(1) ibidem 19 p. 1, 2 N. 121.
(2) ibidem p. 3.
(3) ibidem
(4) ibidem p. 11, 12, 14.
(5) ibidem v. 21 p. 3 N. 149.

facta reperii (1). Die XIV martii MDCLXXXIX venetus Senatus statuit ne amplius arma et monumenta Consiliariorum et Procerum Universitatis conficerentur; quod male ferentes scholares nec non Prorector ac Syndicus statuerunt ut Collins Venetias proficisceretur ut Triumvirorum ope et auxilio senatum oraret « conforme al solito anche de caetero porre memorie in Bue (2) a Capi e Consilieri in puro testimonio del loro merito et a Universal Consolazione de' Scolari » Eliguntur quoque duo consiliarii quibuscum Prorector iturus esset; (3) die XXVI martii vero quo scholarcham maiore decore comitarentur, quatuor eliguntur qui Venetias proficiscerentur (4); sed venetus Senatus sapiens reipublicae moderator legem semel latam non abrogavit.

V. Emanuel Timoni anglus MDCXCI-II.

Die I augusti MDCXCI Vyckec consiliarius anglus D. Timoni anglum pro Rectorem eligendum designavit. Statim Cons. alemannus obiecit incertum esse an et Timoni assentiret et XXII annos natus esset, quo summo munere fungi potuisset. Utriusque rei cons. anglicus fidem fecit, qua de causa XIII suffragiis contra X. D. Emmanuel Timoni nob. Anglus Prorector ac Syndicus creatus (5). Facciolati et Papadopoli eum dicunt esse Chium, sed hoc verum non est, quia et in A. U. L. et in Matriculis et in indictionibus conventuum et mandatis semper eum nobilem anglum appellatum reperii. Die VI martii statutum ut Prorector proficisceretur Venetias ad impe-

(1) ibidem p. 3*b* N. 149.

(2) In vetustis actis Gymnasio hoc nomen tribuitur quod antea *hospitium bovis* fuerat. Nunc quoque patavina plebs Gymnasium « Bò » vocat et antecessores « quei dal Bò ».

(3) A. U. L. V. 21 p. 17 N. 149.

(4) ibidem p. 18 N. 149.

(5) ibidem p. 2 N. 151.

trandam abrogationem legis qua sancitum erat debere Dominio venetorum subiectos per quinquennium Patavii iurisprudentiae operam dare (1). Et die XXIII Martii retulit D. Triumviros hanc Senatui supplicationem exhibuisse (2).

Die vero XVII aprilis, quum Universitatis administris vectigalia constituta essent, Potestatem Prosyndicus rogavit et Universitas decrevit petere a Rectoribus urbis ut hoc onus auferetur (3).

c *Prosyndici*

Thomas Tompson anglus MDCCXXV-VI

Die XXIV Iulii MDCCXXV cons. Alemannus V. Syndicus Universitatis fuit (4), sed certe errate scriptum est « alemanna », quum in matriculis et in ceteris A. U. L. cons. anglicae appareat. Anno posteriore Iuristarum Prosyndicus fuit et die XX Decembris MDCCXXV, lite inter Consiliarium nationis foroiuliensis et nationis istrianae orta, Hebraeorum sacchari causa, iudicavit: saccharum tantum Consiliario et nationi istrianae pertinere, non omnibus nationis citramontanis (5). Nomen eius fuit:

D. Thomas Tompson nob. Anglus Herefordiensis.

(1) ibidem p. 7 N. 151.
(2) ibidem p. 7*b* N. 151.
(3) ibidem p. 8*b*.
(4) ibidem 24 p. 16 N. 184
(5) ibidem 24 p. 5 N. 185.

## CAPUT III.

### Consiliarii et Electionarii anglicae Nationis (1)

§ 1 cons. et elect. saecul. XV.

MD.

D. Gualter........

In anglicam die XIIII iulii electus (2).

§ 2 cons. et elec. saecul. XVI.

*MDI-II.

D. Gualterius anglicus

cons. a die XXVIII novembris apparet (3).

(1) Hoc signo * nomina notantur non anglicorum consiliariorum ad supplendas nationes qui a caeteris consiliariis eligebantur et hoc signo** nomina scotorum ad supplendam anglicam vel anglorum ad supplendam scotam. Quam potui verbis actorum usus sum. In Gymnasio stemmata multorum consiliariorum et inscriptionibus praestant sed eas non retuli quia iam Grotto dall' Ero eas edidit Patavii anno 1841.

(2) A. U. L. V. I. p 41. N. 1 hoc nomen legere non possumus quia chartae margo tempore dirutus est.

(3) A. U. L. V. I. p. 66 N. 2.

MDII-III.

D. Dominicus Cini anglicus sine concurrente in anglica supplenda
die undecimo decembris electus (1).

MDXVI-VII.

*D. Franciscus lusitanus sine concurrente
In anglica supplenda die I. augusti electus (2).

*D. Michael Gantereri burgundus « qui remansit p. ba. 130 a domino Roberto Sponsor qui habuit p. ba. 59 » die XVII augusti pro rotulo conficiendo electus (3).

Francisco Lusitano absente die XIV martii electus est cons. anglicus

* D. Petrus....? burgundus sine cuncurrente (4).

MDVII-VIII.

Scire non possum nomen cons. et elec. I. augusti electus quia nomina cons. et elec. sine indicatione nationum sunt.

(1) A. U. L. V. 1 p. 107 N. 3. Supplenda erat natio quum minus trium scholarium illius Nationis in Universitate erant. Idcirco ad anglicam supplendam saepe anglum cons. invenimus quum tres angli in universitate non essent. Sine concurrente erat cons. qui solus ad consiliariam propositus erat et etiam imparibus votis eligebatur.

(2) A. U. L. V. 1 p. 164 N. 4.

(3) ibidem 181, et 168*b* N. 4. Duo consiliarii et electionarii singulis annis eligebantur, Primus die I augusti ad creandum novum Rectorem et munere suo fungebatur usque ad dimidium mensis augusti, tunc rotulus conficiebatur et novus cons. et elec. eligebatur qui toto anno cons. manebat.

Electionarius dicebatur qui Rectorem et Lectores eligebat, consiliarius qui toto anno apud Rectorem suae nationis personam sustinebat. Primus I. augusti in electione Rectoris secundus in conventu pro rotulo faciendo eligebatur, aliquando hoc conventu I creatus confirmabatur. Hic mos usque ad annum MDCL quo rotulus factus fuit labente anno ab antiquis consiliariis. Aliquando duo eligebantur Electionarius et Consiliarius saepe haec numera in uno cumulabantur.

(4) A. U. L. V. I. p. 188 N. 4.

D. Dominicus Cini elect. et cons. sine concurrente die XII augusti pro rotulo electus (1).

D. Robertus Vilfil anglicus sine concurrente die V ianuarii invenitur ab anglica natione, vacante consiliaria, electus (2).

D. Thomas Buclam anglicus cons. in anglica die XVI iunii invenitur (3).

MDVIII-IX.

D. Robertus Sponsor sine concurrente die VI iulii cons. et elec. electus (4).

MDXVII-VIII.

*D. Blaxius Ungarus sine concurrente anglicae supplendae die XXI iulii electus (5) qui die XXIV iulii consultorem sibi elegit

*D. Paulum Baratum brixiensem (6).

*D. Bartholameus Ture veronensis sine concurrente cons. et elec. in anglica supplenda die XXVI iulii electus (7).

MDXVIII-IX.

*D. Ioannes alemanus sine concurrente elec. et cons. anglicae supplendae I. augusti electus (8).

*D. Henricus de Saxonia alemanus sine concurrente cons. et elec. anglicae supplendae die XIII augusti pro rotulo conficiendo creatus (9).

(1) A. U. L. V. 2. p. 21*b* N. 6.
(2) ibidem p. 30 N. 6.
(3) ibidem p. 35 N. 6.
(4) ibidem p. 35*b* N. 6.
(5) ibidem p. 46*b* N. 7.
(6) ibidem p. 49 N. 7.
(7) ibidem p. 53*b* N. 7.
(8 ibidem p. 65*b* N. 7.
(9) ibidem p. 71 N. 7.

D. Henricus anglicus cons.
in anglica die XVI novembris apparet (1).

MDXXIV-XXV.

* D. Antonius de bugela pedamontanus sine conrente electionarius

* D. Ioannes polonus sine concurrente consiliarius anglicae supplendae die XX augusti electi (2).

MDXXIX-XXX.

* D. Simeon tridentinus sine concurrente.
cons. et elec. anglicae supplendae I. augusti creatus (3).

* D. Rainaldus gallus
cons. et elec. anglicae supplendae die XV augusti creatus ad eligendos electionarios (4).

* Gaspar de Scopulis tridentinus (5).
sine concurrente confirmatur die XXIX augusti pro rotulo faciendo. Die XIV martii MDXXX syndicus pro ultramontanis creatur ut ab ipso scholaris eligatur ad lecturam meridiei Iuris civilis (6).

MDXXX-XXXI.

* Còradus Mola (7)
elec. et cons. anglicae supplendae creatur I. augusti. A die XXVIII augusti consiliarius anglicae fuit

* D. Tomas de Agasiis
usque ad diem XXVIII februarii, quo pro reformandis statutis electus fuit, ad anglicam supplendam cons.

(1) A. U. L. V. 2 p. 74*b* N. 7.
(2) ibidem p. 126*b* N. 9.
(3) ibidem V. 3 p. 6 N. 11.
(4) ibidem V. 2 p. 261 N. 10.
(5) ibidem p. 263*b* N. 10.
(6) ibidem p. 271 N. 10 syndici, postea assessores, dicti sunt qui ab universitate mandatum ad certam rem habebant.
(7) ibidem p. 311 N. 10.

fuit (1). Sed die XXVI maii anglica supplenda apparet (2) et

* D. Antonius Desiderij (3).

anglicae consiliarius descriptione nominum Dominorum consiliariorum qui interfuerunt conventui XXIII iulii apparet.

MDXXXI-XXXII.

*D. Gabriel Bellonus sine concurrente

elec. anglicae supplendae I. augusti electus (4).

* Claudius Formir cons. et elec.

sine concurrente anglicae supplendae die XXVII augusti pro rotulo faciendo electus (5).

MDXXXII-XXXIII

* D. Ludovicus Landems cons. et elec.

ad anglicam supplendam pro rotulo faciendo (6) In electione vero consiliariorum *anglica supplenda* tantum nullo nomine invenitur.

MDXXXIII-IV.

* D. Iacobus Chiabo sine concurrente

anglicae supplendae die I. augusti electus (7) et die XVIII augusti pro rotulo conficiendo ab anglica creatur

D. Cosmuns Pasterius elec. et cons. (8)

MDXXXIV.

Ricardus Marisonus.

cons. et elec. anglicae sine concurrente I. augusti electus (9).

(1) ibidem 3 pp. 28*b*, 44*b* N. 13.
(2) ibidem p. 49*b* N. 13.
(3) ibidem p. 64 N. 13.
(4) ibidem p. 75 N. 13.
(5) ibidem p. 78 N. 13.
(6) ibidem 3 p. 116 N. 14.
(7) ibidem 3 p. 217*b* N. 16.
(8) ibidem p. 228*b* N. 16.
(9) ibidem p. 302*b* N. 17.

* D. Bartolomeus Nisipsi polonus elec. et cons. anglicae supplendae pro rotulo conficiendo die XXII augusti creatus fuit (1).

MDXXXVI-VII

* Antonius Acroldus? cons. et elec. anglicae supplendae die I. augusti electus (2).

* Joannes de Clausa gallus cons. anglicae supplendae die XXIII iulii concurrente, Filippo alemanno, creatur (3).

MDXXXVII-VIII.

* Goffredus burgundus (4) concurrente Sebastiano alemanno (5) ad anglicam supplendam I. augusti creatur.

* Claudius Torned elec. et cons. sine concurrente die XVIII augusti creatur usque ad diem V mensis Maii (6) quo

Nicolaus Bigotius cons. anglicae sine concurrente electus fuit. Hac die Petrus et Nicolaus Bigoti fratres angli Rectori petierunt ut anglica consiliaria sibi anglicis traderetur. Stephanus busciardus burgundus opposuit illos non esse anglos. Tunc Rector eis detulit sacramentum se esse anglos; quod praestaverunt quamobrem Rector « dispensavit et legitimavit » eos et Nicolaus a Petro propositus sine concurrente electus fuit (7).

(1) A. U. L. V. 3 p. 322 N. 17. Scholaribus cassis supplenda fuit natio.

(2) ibidem 4 p. 45*b* N. 97.

(3) ibidem p. 70*b* N. 97.

(4) ibidem p. 1*b* N. 19.

(5) ibidem p. 2*b* N. 19.

(6) ibidem p. 5 N. 19.

(7) ibidem p. 20*b* N. 19.

MDXXVIII-IX

D. Petrus Bigotius cons. et elec. Anglicae die I. augusti sine concurrente a fratre Nicolao electus « quum, ut in actis est, ipsi duo tantum habiles juxta formam statutorum » essent (1). D. Petrus die II. augusti Rectori Universitatis et Rectoribus urbis Patavio decedendi licentiam petiit et

* D. Petrum Paulum Caragosa hispanum substituit eique vocem suam cessit (2).

* D. Georgius sine concurrente ad anglicam supplendam die XVII augusti cons. fuit (3).

* D. Gabriel Ferrerius electionarius

* D. Petrus Granger consiliarius ad anglicam supplendam in conventu pro rotulo conficiendo die XXI augusti creati fuerunt (4).

MDXXXIX-XL.

* D. Antonius Cheruot ad anglicam supplendam die I. augusti creatur (5).

* D. Petrus Boniparis elec. et cons. ad anglicam supplendam pro rotulo conficiendo die XVIII augusti creatur (6).

MDXL-XLI.

* D. Nicolaus de Mundeuilla ad anglicam supplendam I. augusti creatur (7).

* D. Stephanus Bonaldus elec. et cons. ad ànglicam supplendam pro rotulo con-

(1) A. U. L. V. 4 p. 1*b* N. 20.
(2) ibidem p. 4 N. 20.
(3) ibidem p. 8 N. 20.
(4) ibidem p. 17*b* N. 20.
(5) ibidem V. 5 p. 3*b* N. 21.
(6) ibidem p. 7 N. 21.
(7) ibidem p. 76 N. 22.

ficiendo die XXIV augusti creatur (1). Qui die XX iunii quum sibi decedere necesse esset, substituit (2).

D. Ioannem de Amia.

MDXLI-XLII

* D. Ugo hispanus

sine concurrente ad anglicam supplendam I. augusti eligitur (3).

* D. Bernardus Martinetus

elec. et cons. sine concurrente die XXI augusti pro rotulo conficiendo ad anglicam supplendam eligitur (4).

MDXLII-XLIII

D. Ioannes Dorno

D. Marcus Agen

ad anglicam I. augusti electi (5).

* D. Ioannes Iornaut

elec. et cons. sine concurrente ad anglicam supplendam in conventu pro rotulo conficiendo electus (6). die XXVIII augusti ad syndacandum antiquum Rectorem pro ultramontanis creatur (7).

* D. Ioannes Berardus

die IV octobris substitutus Ioannis Iornaut apparet (8). Sed die XXVI ianuarii Ioannes Iornaut acta subscripsit syndacatus Rectoris (9).

MDLIII-LIV

* D. Sebastianus Caramglio ?

(1) A. U. L. V. 5 p. 86 N. 22.
(2) ibidem p. 117*b* N. 22.
(3) ibidem p. 169*b* N. 23.
(4) ibidem p. 176*b* N. 23.
(5) ibidem p. 249 N. 24.
(6) ibidem p. 252 N. 24.
(7) ibidem p. 255*b* N. 24.
(8) ibidem p. 265 N. 24.
(9) ibidem p. 281 N. 24.

ad anglicam supplendam I. augusti electus (1).

*D. Claudius de Chom.?

elec. et cons. ad anglicam supplendam in conventu pro rotulo conficiendo die XVII augusti creatur (2).

*D. Deffendens Galeratus (3).

substitutus extraordinarius (4) die XXIII augusti apparet. Die XXVIII octobris VIII dies Claudius de Chom substituit

*D. Ioannem Rabottum (5).

*Ioannes Baptista Maximiana

substitutus in anglica die XXVIII novembris (6) et I. decembris (7) et

*D. Baptista de squiam?

substitutus in anglica die XXVI ianuarii apparent. (8). Die II maii et XXVIII iulii (9) mandata fecit Rector ad supplendas nonnullas nationes quarum in numero anglica est. Et tandem

*D. Antonius Avionus

in anglica die XXII iulii electus fuit (10).

MDXLIV-XLV.

*D. Franciscus Pauiot

elec. et cons. ad anglicam supplendam die I augusti electus (11).

(1) A. U. L. V. 5 p. 310 N. 25

(2) ibidem p. 313 N. 25.

(3) ibidem p. 321 N. 25.

(4) Substituti extraordinarii erant qui uno tantum die ad consiliariam eligebantur « *pro abendo (sic) iusto numero in formam statutorum* » ut legitur in actis.

(5) A. U. L. V. 5 p 334 N. 25.

(6) ibidem p. 339*b* N. 25.

(7) ibidem p. 343 N. 25.

(8) ibidem p. 348*b* N. 25.

(9) ibidem p. 351*b*, 354*b* N. 25. Mandata affigebantur in *valvis* (ianuis) scholarum.

(10) A. U. L. V. 5 p. 355 N. 25.

(11) ibidem V. 6 p. 3*b* N. 26.

*D. Guglielmus Musserius.
elec. et cons. ad anglicam supplendam die XIV augusti in conventu pro rotulo conficiendo electus (1). Die XXIX iulii pro conficiendo rotulo nec Consiliarius nec natio anglica conventui interfuerunt (2).

MDXLV-XLVI.

*D. Franciscus de Plainchamp burgundus
cons. et elec. ad anglicam supplendam I. augusti creatus (3).

MDXLVI-XLVII.

*D. Natalis della Ruere burgundus
elec. et cons. sine concurrente ad anglicam supplendam I. augusti creatus (4) Sed affixo die ultimo decembris mandato (5) die III ianuarii

*D. Dyonisius Bouerius
cons. ad anglicam electus fuit (6). Die autem XI aprilis ad electionem cons. anglici deventum est et concurrerunt D. Franciscus Freitto anglus et D. Iohannes Skaschenski polonus, sed quia novissime immatriculati erant Rector eos illegitimos declaravit. Tunc

*D. Gulielmus de Molins burgundus
concurrente D. Paolo a Macholin polono, cons. ad anglicam electus fuit (7). Die XXVI iulii Iudicum oppositorum ad electionem novi Rectoris creatus est (8).

(1) A. U. L. V. 6 p. 6 N. 26.

(2) ibidem p. 80*b* N. 26 ab hoc anno rotulus confectus est labente anno ab antiquo consiliario.

(3) ibidem 6 p. 94*b* N. 27.

(4) ibidem p. 164*b* N. 28.

(5) ibidem p. 185 N. 28.

(6) ibidem p. 185*b* N. 28.

(7) ibidem p. 198 N. 28.

(8) ibidem p. 211 N. 28. postea *oppositores* tantum vel *contradictores* italice *contradittori* dicti fuere.

MDXLVII-XLVIII.

*D. Dyonisius Bouerius provincialis cons. et elec. ad anglicam supplendam I. augusti electus (1).

MDXLVIII-XLIX.

*Bartolameus olim Ciprius elec. et cons. ad anglicam supplendam I. augusti electus (2). Die XXII ianuarii, facto die XIV mandato (3), eligitur

*D. Ioannes Baptista Lomelinus cons. anglicae (4).

MDXLIX-L.

D. Ioannes Marburio anglus « comparuit solus et petiit ad electionarium et consiliarium eligi iuxta formam statutorum et sic admissus fuit ». idcirco ad anglicam supplendam cons. et elec. I. augusti electus fuit. (5).

*D. Iacobus Lomellinus ad anglicam supplendam die XII septembris a Rectore electus fuit (6). A die XXVI octobris usque ad diem postremum februarii Iacobus Lomellinus aegrotans substitutus fuit vel a fratre

*D. Ioanne Baptista Lomellino vel a

*D. Prospero podocatno ? (7).

Die XXVII iulii in descriptione Consiliariorum qui interfuerunt conventui pro novo rotulo invenitur

D. Ioannes Bochsol anglus (8).

(1) A. U. L. V. 6 p. 221*b* N. 27.
(2) ibidem p. 290 N. 30.
(3) ibidem p. 331 N. 30.
(4) ibidem p. 334 N. 30.
(5) ibidem V. 7 p. 3*b* N. 31.
(6) ibidem p. 21 N. 31.
(7) ibidem pp. 39, 40*b*, 42*b*, 43*b*, 44*b* N. 31.
(8) ibidem p. 65 N. 31. consiliaria quae ineunte anno sup-

MDLI-II.

D. Guglielmus Huse anglus

ab anglica I. augusti electus (1). Die IX decembris Bidellus citavit nonullos consiliarios quorum est anglicus quia statuta non emerant. Ex his nonnullis, quorum anglicus, dies datur ad emenda (2). Die XXVIII decembris invenitur mandatum ad substituendos nonullos consiliarios quorum anglus (3) haud dubie quia nondum emerat statuta, quum enim die V ianuarii facta esset declaratio a Bidello Huse emisse statuta Huse cons. remansit (4).

MDLII-III.

D. Ioannes Orphenstrangus anglus

cons. et elec. ab anglica I. augusti electus (5).

MDLIII-IV.

* D. Cristophorus Iulius alemanus

elec. et cons. ad anglicam supplendam I. augusti electus (6), sed die XII octobris, facto die X mandato, (7)

* D. Egidius Bellinger germanus

cons. ad anglicam supplendam eligitur (8).

MDLXIV-V.

* D. Andreas Ortensius germanus

elec. et cons. ad anglicam supplendam I. augusti electus (9).

plenda erat, quum postea completa facta esset natio, statim ei redibat et nationalis cons. eligebatur.

(1) A. U. L. V. 7 p. 162*b* N. 34.
(2) ibidem p. 178 N. 34.
(3) ibidem p. 182 N. 34.
(4) ibidem p. 190 N. 34.
(5) ibidem p. 227*b* 230 N. 35.
(6) ibidem V. 8 p. 3*b* N. 36.
(7) ibidem p. 21 N. 36.
(8) ibidem p. 22 N. 36.
(9) ibidem p. 82*b* N. 37.

D. Wolfangus alemannus substitutus
anglicae fuit in conventu diei XVII Octobris (1) Andrea Ortensius autem electus fuit die XXVII Aprilis ad comitandum Venetias pro-Rectorem (2).

MDLV-VI

D. Ioannes Bromus anglus
elec. et cons. ab anglica I. augusti electus (3).

D. Franciscus Walsingham anglus sine concurrente cons. ab anglica in conventu privato (4) creatus est (5) Hic die XXII martii VI dies substituit

D. Gulielmum Marleum anglum (6)
et die VIII aprilis, quum Walsingham renuntiavisset consiliariam, facto mandato die VIII aprilis (7)

D. Sygismundus Wyndamus
ab anglica electus fuit (8).

MDLVI-VII

D. Sygismundus Wyndamus electionarius

D. Ioannes Pellanius consiliarius
ab anglica natione I. augusti electi fuere (9). Hic electionarius cum ellenico tantum in lite cum vicentinis germanorum partem tulit et, ut est in A. I. N. G. I, contra spem germani praevaluerunt magna cum ignominia vicentinorum quorum candidatus iam aurea catena et vestibus Rectoris indutus in praetorio adse-

(1) A. U. L. V. 8. p. 92*b* N. 37.
(2) ibidem p. 112*b* N. 37.
(3) ibidem p. 141*b* N. 38.
(4) Cum Natio quaedam inter annum eligere debebat consiliarium in conventum privatum conveniebat.
(5) A. U. L. V. 8. p. 157 N. 38.
(6) ibidem p. 162 N. 38.
(7) ibidem p. 163*b* N. 38.
(8) ibidem p. 164 N. 38.
(9) ibidem p. 201*b* N. 38.

derat (1). Die XV iunii consiliarius anglicus Pellamus VIII dies substituit

D. . . . . . . . . . (2)

Die XIII augusti, carentibus tribus syndicis, ad syndacandum antiquum Rectorem etiam Ioannes Pellamus pro ultramontanis electus fuit (3).

MDLVII-VIII

D. Ioannes Hambeus anglus

elec. et cons. ab anglica I. augusti electus (4). die II aprilis

D. Franciscum Alphord anglum

